

IOAN. FR. MIRANDV-
LÆ DOM. CONCORDIÆQ. COMI-
TIS, OPVS AVREVM DE AVRO TVM
ÆSTIMANDO, TUM CONFICIENDO,
tum utendo, ad coniugem.

Liber primus.

CAPVT I.

*AVRVM NON SEMPER A PRIMORDIIS SECV-
lorum ipsiusque inventionis initio sic æstimatum consensus
nationum, ut res cæteras metiretur.*



VRUM, quod olim tanti factum est, tantiq; nunc
passim fieri cernimus, quamnam ob causam tam
eximiam æstimationē sui mentib. humanis in-
seruerit, insertamque tenacius infixerit, mihi
æpe. conjunx, venit in mentem, ut exactius disputando co-
gnoscerem. hinc enim id videbam tanta cura, & tam superva-
canea quæri solere, ut merito priscis ab auctoribus latinæ lin-
guæ nomen traxisse diceretur ab avertendis mentib. homi-
num, tantoq; studio quæsitum custodiri, ut jure dederit ansam
Græcis plane suspicandi deductum nomen ἀπὸ τῆς ἀργείης quod
scilicet præ cæteris custodiretur, indeq; thesauri vocabulū ef-
ficeretur. Parte alia cum utile fortassis aurum videri posset,
nullo vero modo necessarium suapte natura, sed sola morta-
lium cōspiratione progrediebatur animus ultra percupidus,
videlicet habēde veritatis. Atque imprimis recordabatur sē-
per non fuisse præfectum aurum cæteris, nō metallis modo,
sed aliis externis omnibus consensu nationum: nam vel ex-
pressa, vel tacita seculorum omnium conspiratio, ut aliis re-
bus, quæ dicuntur externa præponendum ipsum arbitraret,
mihi omnino non persuadebatur, nulla enim inter primor-
dia conditi hominis auri mentio, quin & literarum monu-
mentis antiquissimis relatum est, sine auro permulta secula
vitam homines agitasse: nec defuere, qui scripserint paulo an-
te Troiana tempora inventum aurum ab Eaco: & argentum